



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac  
Vita Existentes, Firmata**

**Stengel, Georg**

**[S.I.], 1645**

§. 10. Magnorum peccatorum conuersione perpensa, ingredi & alios in  
spem veniæ peccatores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

tis laboris fuit, propterea quod inde locus, ubi aqua fluebat, alijs quidem decem, nonnullis autem viginti, quibusdam etiam triginta studys abesser. Per longo vero tempore pristinum suum retinuit robur; quamvis multum studij in hoc collocaret, ut id debilitaret, & carnem diuturna ærumna extenuaret. Dicunt autem aliquando prædones eum quatuor, qui officinam quietis sua percurrebant, cepisse, vinxisse, atq[ue] in humeros, sublatos in Ecclesiam deportasse, & Patribus, quid de eis statuerent: permisisse: nefas esse dicentem, ut in posterum mali quidquam alicui ipse inferret. Neq[ue] unquam quemquam fuisse ferunt, qui tantopere mutatus a vitijs ad virtutem summam quam pertigit, peruenierit. Incredibilis vero fuit demonibus terror. Et quod supra opinionem omnium est, presbyter etiam in Scetifactus est, cum quidem quam plurimos, eo tempore, quo latronum manu duxerat, interemisset. Et quia talis erat, multos eosq[ue] optimos post se reliquit sectatores.

## §. X.

Magnorum peccatorum conuersione perpenſa,  
ingredi & alios in spem venia pecca-  
tores.

Hoc est, quod supra dicebam: nostra ex-  
istimanda esse, omnia eiusmodi bona, quæ  
dum

dum alijs à bono Deo exhibentur , nostra  
funt imitatione. Nam quantæ spei non est  
argumentum? quis non obstupescat, ad tan-  
tam metamorphosin ? Latro tam immanis  
fit exemplum summæ charitatis ? Qui antè,  
nocturnis in tenebris, aliorum bonis & vitæ  
insidiabatur , nunc per totas noctes perui-  
gilat , vt alijs possit aquam præstare ? Tot  
cædium reus , nunc se suumque corpus ca-  
stigat ? Is qui intemperantissimus vino se  
ingurgitabat , epulis lacertos ædificabat ,  
nunc solo pane contentus est ? æquè in vir-  
tutem fortis , ac in flagitia priùs fuerat au-  
dax. Herifuga famulus antè; nunc redit ad  
Dominum vniuersi , & ei famulari incipit ,  
quem in tot crudelitatibus , si quiuisset , ip-  
sum occidisset ? Sic AEthiops pellem mu-  
tat & sic prædo fit præda ? sic homicidarum  
ductor , fit ductor Anachoretarum ? & qui  
vias infestauit , nunc in seipsum grassatur ?  
ex face nebulonum , nunc lux Monacho-  
rum? Prope ipse Abbas non credidit, ex tam  
infami prædone aliquid boni fieri potuisse.  
Timuit cum illo colloqui : trepidauit, illum  
ad fores, ne dum in interiora domus, admit-  
tere: nec supplici ac omnia promittenti cre-  
didisset. Reiecit, vt pestem, horruit vt latro.

Aa 3 nem,

nem, nec sibi persuadere potuit, illas manus ad cœlum sublatas, Numini gratas esse posse, quæ toties humano sanguine fuerunt cruentatæ. Itaque ille, quod precibus non potuit, minis impetravit; non admittendus, nisi formidatus. Censuit nempe illud ad se

**Matth. II.** 12. pertinere: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; serius in peccando, seriam quoque pœnitentiam egit. Quia in re multos eosque optimos, post se, reliquit sectatores, qui quamuis grauibus cooperti flagitijs, quamuis fulmina meriti & Tartara, quamvis sexaginta, aut octoginta annis Deum ad iracundiam prouocauerunt, tamen cogitatione pia tacti, post calumnias, post adulteria, post cædes, post sacrilegia, repente di-*

**Pl. 76. 8.** xerunt: *Nunquid in æternū projicit Deus; aut non apponet, ut complacitior sit adhuc? Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem? Aut obliuiscetur miseri-  
ri Dei? aut continebit, in ira sua, misericordias suas? Et dixi, Nunc cœpi: Hæc mutatio dexteræ Excelsi; quæ neminem respuit, sed latronem de nemore, latronem de cruce, plus quam latronem ex ipsis quodammodo inferni faucibus recipit ad misericordiæ diuinæ fores pulsantem.*

§. XI.